



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Amor Delphinis erga hominem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

fides delphinis amicitiam hominum persuadere, imò cantibus allici, dirumpique serpentes. Febrem curabant vulneraque veteres cantione: Aesclepiades tuba surdissimis medebatur; ad affectiones animi tibias Theophrastus adhibebat: ischiada quis nescit expelli auloedi suavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat: Thaletem Cretensem citharæ dulcedine compertum est morbos ac pestilentiam fugasse: Hierophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat. Hæc ille. Quibus addo: Camelus modulatione plurimum capitur: itaque si fessus longo itinere subsistat, ductor non flagris aut verberibus ad progrediendum eum stimulat, sed sonitu, cantuque demulcet. Majol. coll. 7. Equos ad pugnam incitari tubis, quis nescit? Tunc enim, quod Jobus asserit c. 39. *Contemnit pavorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah!* Quid, quod apiculæ quoque pulsu gaudeant, atque tinnitu æris convocentur. De delphino speciatim Plinius: delphinus ait, non homini tantum amicum animal, verum & musicæ arti; mulcetur Symphoniæ cantu, & præcipue hydraulæ sono. Gothicarum rerum scriptores narrant, regionem illam ursis abundare, qui sæpè in pastores impetum faciant, eosque devorent; ejus tam gravis periculi effugiendi causâ solere eos secum assidue tibias circumferre, quas inflant, simul atque ab urso aliquo peti se vident. Feram autem cantu illo captam subsistere, ac ubi se aliquantisper oblectavit, aliò se ad pastum quærendum convertere. Mirius his etiam est, quod Polyhistor c. 11. narrat, in Halesia regione, fontem alias quietum & tranquillum cum siletur; sin' insonent tibiæ, exultandum ad cantum elevari, & quasi miretur suavitatem vocis, ultra marginem intumescere.

III. (c) *Φιλανθρωπία* delphini meretur, ut, quoniam locus hic monet, pluribus illustretur. Veteres delphino vesci, ait Pierius lib. 27. c. 2. scelus putabant: quod quædam illi sint humano cum genere commercia; unde *Arion delphino insidens*, emblema ac Symbolum est humanitatis. Plinius de eo: hominum, inquit, atque imprimis puerorum amans bellua est. Ideoque crocodilorum hostis infestissimus, propterea quod crocodilus humano semper generi insidiatur: atque ita ipsa naturæ repugnantia inimicitias generat. Idem refert lib. 9. c. 8. sub Augusto puerum ex Bajano Puteolos ad ludum litterarium deferri à Delphino solitum, ad *Simonis* vocem (nam quia delphines simo sunt rostro, gaudent simones appellari) repente se vectorem stitisse, pane ex mani-

T t 3

bus

(c) *Amor delphinis erga hominem.*

bus illius partum; eumque puero demum extincto, præ mœtore etiam expirasse. In eodem argumento festivam historiam narrat alter Plinius lib. 9. epist. Est in Africa, inquit, Hipponensis Colonia, mari proxima: adjacet ei navigabile stagnum, ex quo in modum fluminis æquarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hinc ætas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur; maxime puerorum, quos otium, ludusque sollicitat. His gloria & virtus, altissime provehi, victor ille, qui longissime ut littus, ita simul nantes reliquit. Hoc certamine quidam puer ardentior cæteris in ulteriora tendebat: delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circumire: postremo subire, deponere, iterum subire, trepidantemque perferre, primum in altum: mox flectit ad littus, redditque terræ & æqualibus. Serpit per Coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid est mari simile, natant pueri inter hos ille, sed cautiùs. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit, fugit ille cum cæteris. Delphinus quasi invitet, revocet, exsiliit, mergitur, variòsque orbes implicat, expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, donec homines innutritos mari, subiret timendi pudor: accedunt & alludunt, & appellant: tangunt etiam, pertrectantque præbentem terga. Crescit audacia experimento. Maxime puer, qui primus expertus est, adnatat, natantis insilit tergo ferturque: agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur. Hujus fiducia, mansuetudo illius augetur: nec non alii pueri dextra, lævæque simul eunt hortantes, monentisque. Ibat una (id quod mirum) delphinus alius, tantum spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, ut puerum ceteri pueri. Hæc Plinius junior. Quid officiosius expectet homo ab homine? Nec mirum. Delphinum ipsa natura mansuefecit; solus omnium piscium felle caret. Adde, quod delphini sint prognosticon malaciæ, ac tranquillitatis marinæ, cum videntur in superficie pelagi frequentius se versare, exilire, & plures quodammodo lascivire inter se colludentes. Pier. l. e.

III. (d) Hinc imago Symbolica serenitatis, est emblemata Neptuni sedentis in portu, dextrâ tridentem apprimentis terræ, læva delphinum

(d) Delphinus symbolum est tranquilla mentis, humanitatis, gratitudinis, vigilantiæ, celeritatis.

num amplectentis. Nihil aptius ad exprimendam mentis placiditatem; quæ tunc adest, quando stat animus sine ventis, & fluctibus, hoc est, perturbationibus, præsertim iracundiæ, quæ veluti rapidi turbines concitant horridam tempestatem, atque imo evertunt æquora fundò. Quid illud ampliùs in hæc neptunia fera? venientibus *alludis* navigiis, & licet plenis carbasis euntia, prævolat: atque ut vectoribus delicias faciat, ingenti saltu super naves elibratur in altum, & innoxiam aquarum tempestatem naribus ac ore vomit. Adde lusibus *utilitatem*. In piscatione mugilum, delphini se hominibus quandoque socios præstant, occurrentes id genus pisces turmatim, invadunt, & vel in retia adigunt, vel occidunt, cibus in præmium laboris relatis. Hæc Plinius Major loc. cit. De *gratitudine* delphini mirum quid scribit *Ælianus* lib. 8. c. 3. Delphinus vir quidam ad Bizantium captivos pecunia redemit, & manè liberos dimisit. Non excidit beneficii memoria; hominem enim postea, cum navis esset submersa, exceperunt gratissimi pisces, & placidè collocarunt in portu. Cum verò fato functus esset, & exequiarum pyra arderet in litore, frequentes exilierunt è mari, nec nisi restincto rogo, quasi officiosissimi amici discesserunt. *Vigilantia* porrò quanta? perpetuo motu præditus delphinus est, & ne dormiens quidem à motione conquiescit. Dicere possis: *Vita ipsa vigilia*. Jam quanta piscis hujus *celeritas*? cum sagittis certare videtur. M. Calphurnius Bibulus ut declararet celeritate maritimæ expeditionis victoriam sibi allatam, delphinum pinxit laureatum, supra tridentem collocatum. Habent ergo homines, quod in hominibus, nautis illis barbaris detestentur; perfidiam & inhumanitatem. Habent in belluis, delphinis, inquam, quod imitentur, & discant esse homines, hoc est, faciles, mites, benefici, grati, in negotiis suis expediti, alacres, vigilantes.



SYM-